

QK. 520, 11

B.

III t
525

CHARTAM
INDVBITATE, LINTEAM
HAC, TENVS, NOTIS, ANTIQVIOREM

SERENISSIMI, PRINCIPIS, AC, DOMINI
DOMINI
FRIDERICI

MARGGRAFII, BRANDENBV RGI, DVCIS, PRVSSIAE
RELIQVA
NOMINALIA

QVIBVS, PAR, EST, VOTIS
A, D, VI, IDVS, MARTIAS, A, R, S, CIDI CCCLXII
IN, CVRIANO

OBITVRVS, IN, MEDIVM, PONIT
QVAE

QVIBVS

OPTIMI, PRINCIPIS

SALVS, PERENNIS, CORDI, EST

FREQVENTIVS, OBEANT

QVO, DECET, CVLTV

IT, ROGATVM

RECTOR

PAVLLVS, DANIEL, LONGOLIVS

CAESAREAE, FRANCISCEAE, LIBERALIVM, ARTIVM, ACADEMIAE, CONSILIAR
FAC, PHIL, LIPS, ADSESS, ET, SOC, IENENS, LATIN, SOC
HONORARIVS



CVRIAE, REGNITIANAE

LITERIS, IOANNIS, ANDREAЕ, HETSCHELII

GYMN, TYP





In Hermunduris meis perrecturo intercedit cursor publicus ex Belgio Illustris GERARDI MEERMANNI, Syndici Rotodamensis longe Celeberrimi, *Admonitionem de chartae nostratis, seu lineae, origine* data a. d. V. Calendas Ianuarias huius, quem agimus, anni *MDCCCLXII*. se cum ferens. Ea vero et ego admonebar tot praemiis et admonitionibus propofitis ad iudicium chartae lineae.

INDEX DICTORVM.

- | | |
|---|--|
| §. I. Charta lineae. | §. XI. Quodnam antiquissimum |
| §. II. An ab initio in molendinis confecta? | MEERMANNI? |
| §. III. Olim rarior. | §. XII. Quodnam HANSELMANNI? |
| §. IIII. Corruptioni exposita. | §. XIII. Quodnam PESTELII? |
| §. V. Caduca. | §. XIII. Quibus antiquius ONOLDSBACENSE. |
| §. VI. Difficulus sigillo munjenda. | §. XV. Qui? |
| §. VII. Hinc eius parior vsus. | §. XVI. Ineantis seculi quarti. |
| §. VIII. Nec perennis. | §. XVII. Sigillo impresso. |
| §. VIII. Codicum chartaceorum aetas dubia. | §. XVIII. Cuius? |
| §. X. Certior diplomatum chartaceorum. | §. XVIII. Quando datum? |
| | §. XX. De quo? |
| | §. XXI. Per quem? |

§. I.

Tabula haec non sufficit cuncta chartae, qua patet, genera enumerare, nec refert. Refert autem cum maxime eam nosse, quae ex linteis filis in frustra secatis et in mortario aliquo per pistillum contritis atque in aqua maceratis in modum pultis forma idonea hauritur et ad aerem exsiccat.

§. II.

Vt omnium artium initium rude, exile et simplex, ita et gignendae chartae linteae. Mortarium et pistillum opus est ad contundenda linamenta. Manibusne autem an vi aquae ventiae pistillus moueatur, parum intererit. Nam vel prisca molis carentes

tes



tes frumentum in pilas misum pistillis tundebant et terebant, unde pistrina olim tam frequentia. Cum vero id nimis multas manus posceret, quae ad alia utilius adhibendae, cariusque stabant, ad molas extruendas progressum est ita, ut circa rotarum frontes adfixae pinnae, cum ab impetu fluminis ventouae percutiuntur, progredientes rotam versari cogant. Nasci igitur potuit charta lineae opem haud ferente mola. Sane aequae haud indignum investigatione, quando demum mola prima conficiendae chartae lineae fuerit constructa, quae ratione magis atque magis cultae, ut nostra aetate ad summum perfectionis fastigium euectae omnibus numeris videantur absolutae istius generis molae.

§. III.

Quo autem difficilius pariebatur charta nostra, eo frugiliores se gerebant maiores in ea adhibenda, ut sit, in re, quae rarior. Hi verbis parcentes paucis multa edicebant, seduloque cauebant, ut ne lineae confunderentur fluxiore penna, quin quaelibet litera lectu facilis, clara, distincta adpareret, secus ac posterius vix aliquot paginis immo plagularum sarcinis exsequentes, quod vel tribus quatuorue versibus et spatio aliquot digitorum exponebant nequaquam fidem ex charta merientes.

§. IIII.

Sed et linamenta blattarum ac tinearum epulae et murium illecebrae ex glutino, quod paratur coctis pellium ossumque ramentis, cui charta nostra immittitur et in aere siccatur.

§. V.

Inde eadem caduca valde et fragilis, ut iacturam patiat et tabula et scriptura quolibet paullo sinisteriore casu.

§. VI.

Cum istud antiquius seculum minus ferax scribis, quin pleraque pars mortalium animi sui sensa literarum monumentis commendatura aliorum scribendi peritorum tum pauciorum fidei se relinquerent adeo, ut ne quidem nominis subscriptione, nisi Imperatores Regesque monogrammate, agnoscerent exarata, necesse erat, quod ipsi in extremo literarum profitentur, sigillo ea munire. Hoc literis adpendere erat moris, quod quidem in membranceis commode fieri quivit, in chartaceis autem non sine periculo scissurae literis noxiae ex sigilli pondere. Ut vero illud imprimere, non dum aderat materia, quae nostrum quoque aeuum dedit demum tenacissimam, quin adhiberent cerae genus, cui imposita charta sigillum inscriberetur, casui aduerso vel ad huc apud nos obnoxiae.

§. VII.

Ista autem cuncta suadebant parciores chartularum usum ut pote minus perennium et ad posteros durantium.

§. VIII.

Quod si vero et iam largius iis fuissent usi, rerum tamen edax tempus istius modi documenta citius corruperit, et consumserint alia ita, ut pauciora aetatem tulerint, et ad posteros fuerint translata.

§. VIII.

Adseruatu quidem commodiores erant chartae plures in unum corpus compactae, insidiis tamen supra §. III. memoratis aequae expositae. Iam cum neque in fronte neque in calce annuam descriptionis proderent librarii, vereor, ne spes extenuetur et euanescat, inde chartae linteae aetatem esse definiturum quemquam.

§. X.

Eius igitur nulla patet via quam diplomatibus, quae crepat seculum, quippe quorum datum et actum aut exprimit annum aut eius ariolandi vestigia signat.

§. XI.

Eruditissimo MEERMANNO quidem non alia nisi ex scriniis *Quedlinburgensibus*, cuius in *Analectis Brunsvicensibus* anni *MDCCCXXXV.* libello *LI.* indicium factum, innotuit vetustissima anno *millesimo tricentesimo undequadragesimo die S. Viti, Modesti et Crescentii* exarata charta, qua antiquior Celeberrimae Goettingensi Societati Regiae anno *MDCCCLV.* non dum fuit cognita.

§. XII.

Hac aliquot annis vetustior anno eiusdem seculi *decimi quarti tricentesimo tertio die Veneris post adscensionem Domini* data ex tabulario *Hohenlobico* in lucem protulit Illustris HANSSELMANNVS in vterius solide illustratis et masculae defensis Regalibus *Hohenlobicis* p. 323. seq.

§. XIII.

Hoc par superat aliud anno *vicelesimo sexto* eiusdem seculi, quod in penu suo adseruare testatur Doctissimus PESTELIVS Rintelensis Professor in Novis Literariis Goettingensibus anni *MDCCCLVII.* libello *VII.* Nam ut altera charta, quam idem Vir Celeberrimus se cum habere ibi profitetur, anni *millesimi ducentesimi tricentesimi noni* sit linea, veretur antea laudatus Ill. HANSSELMANNVS fretus auctoritate Chronici *Gotwicensis* Lib. I. Cap. I. §. 2. p. 13, cuius verba: *De charta linea aliqua remanet quaestio, quando*

quando nimirum eiusdem usus coeperit? quem non nulli plane ad XI. quidam ad XII. saeculum referunt, non obseruata, vt credimus, differentia inter chartam bombycinam et lineam: arbitramur proinde, vix ante saeculum XIII. usum chartae lineae inualuisse.

§. XIII.

Serenissimi Principis Domini CHRISTIANI FRIDERICI CAROLI ALEXANDRI Onoldsbaci Franconiae prudentissime regentis indulgentissima per mensem Augustum superioris anni licuit mihi esse tam felici Perillustris atque Excellentissimi Iungii auspiciis inter alia scriniorum eius perspicacia optime digestorum eorumque locupletissimorum vti frui charta vere lintea. En ante omnia ad huc a nemine, quod scio, prolatae ipsa verba:

FRIDERICVS dei gracia ecclesie Augustensis episcopus honorabilibus viris Decano, totique capitulo ecclesie Fuhrwacensis, amicis nostris karissimis, salutem et sinceram in domino caritatem. Cordi nobis est ecclesie nostre defectibus succurrere ipsiusque commodum et vtilitatem promouere in quantum possumus et tenemur, cum itaque iuxta quorundam virorum et ammiculi nostri predilecti R de hyrnhain prepositi vestri relatione precipue iam dudum intellexerimus de quibusdam manifestis ecclesie vestre defectibus, cum in rebus vestris et personis, Idcirco volumus et mandamus, qua tenus super reformacione earundem, cui vtrique intendere volumus bona fide, certos nobis ad hoc aptos viros et idoneos de capitulo vestro, ad presenciam nostram Augustam transmittatis ad terminum quem vobis, discretus vir ac dilectus nobis magister h. de Nortenberch, notarius noster deputabit et assignabit in quo nobis ecclesie vestre, necnon omnium vestrerum profectum procurabitis nostro et prepositi vestri consilio et auxilio mediante volentes vt concanonicos vestros absentes qui de consuetudine fuerint euocandi vestris literis ad eundem terminum et locum euocetis, et predicto magistro h. super referendis vobis ex parte nostri fidem credulam adhibere velitis. Datum Auguste x kalen. Maii.

§. XV.

Vsu fidsissimo isto magistro edoctus, quot imposuisse cupidinem videre, quod voluerunt, vocabam iterum iterumque in dubium illam tabulam. Licetne antestari Viros, quos alit Princeps Aequissimus meritorum Iudex, rei diplomaticae peritissimos? Libebit, aeternum memori eorum facilitatis et humanitatis, qua

):(3

excepe-

exceperunt foueruntque plane singulari, vt ipsi loquantur, quanta sollicitudine eam ego explorauī, nec prius adqueiui, quam dum sensus dixerim pene omnes conspirantes eo me adigerent, vt nihil esset reliqui, quod vel minimam suspicionis speciem prae se ferret. Quo fortius reluctabatur mens mea, eo fortius conuincebatur, siue nec bombycina esse ferica neque ex linis xylinis nucis, quae gossipion siue xylon fert, cuius ex interiore bombyce lanugo netur, sed linea esse. Fuerit autem circiter octaua plagulae pars siue folii satis glutinata et ex senio subflaua.

§. XVI.

Literarum forma non est alia, quam quas ineunte seculo quarto decimo vītatitas fuisse tot millia membranarum istius aevi satis arguunt ne a literatissimo quidem ad huc in ius aut suspicionem vocatarum.

§. XVII.

Neque natu minorem praesule, qui eas dedit, esse chartulam, loquitur effigies, qua signata, eius tergo tam tenaciter inhaerens, vt prius comminui quam auelli se patiat, nec tam expressa fuerit, si aliunde in eam translata. Et qui transferatur aut vnde, quoniam tum temporis eas non infigere sed adfigere siue adpendere membranarum in consensum verterat?

§. XVIII.

Dabat autem illas literas FRIDERICVS se ipsum *Augustensem Episcopum* nominans. Si quaeris, cuius gentis; respondet BVCELLI-NVS in Topochronostemmatographica Sacra et Profana German. Sacr. Part. I. p. 13. *Speet de Faymingen*, quo nomine quoque comparet in literis anno 1100ccxv. exaratis et a Viro Perillustri et Excellentissimo de IVNG in illa lance fatura optimis quibusque frugibus referta Miscellan. Tom. III. p. 236. excerptis. Apud CRVSIVM in Annal. Sueu. Part. III. Lib. III. Cap. XVIII. eius loco est *Fainingen*. In manuscriptis tamen ACHILLIS PIRMINII GASSARI Annalibus Augstburgensibus, quos olim Menkenio meo Scriptores Rerum Germanicarum conquirenti paravi prelo, inueni *Spatum de Turnegga*, et si operarum incuria in eorum Tom. I. p. 1472. *Spactus* fuit illatus. Nec alium, quam *Speethum de Thurnegg* nouit recentissimus Historiae Augustanae conditor fide dignissimus Gen. de STETTEN Cap. VI. §. XVIII. Componant hanc litem, quibus propius inspicere licet Augustanorum res.

§. XVIII.

Vno ore fatentur omnes, regnum eius durasse ab anno 1100ccvii. ad 1100ccxxx. Intra hoc temporis spatium exarasse illas literas

litteras satis constat. Si statim inuito honore, existimauerim, id vel verbo prodidisse, vt in multis contigit. Non scripsisset: *Cum iam dudum intellexerimus*. Inde tamen non dum euictum, prodidisse eas demum in extremo vitae. Nam et huius forsitan esent vestigia.

§. XX.

Certiora proferre quis posset, si liqueret, annum ccccvii. qui *Rudolpho de Hyrnheim* in Genealogia Ordinis Equestris Franconici ad Almonam BIEDERMANNIANA Tab. CCXXI. adponitur, emortualem fuisse. Sane ibi salutatur *Capitularis et Praepositus Capituli Augustani*, quem et *Feuchtwangensis ecclesiae capituli* tum, cum ista exararentur, fuisse *praepositum*, ex ista charta palam fit.

§. XXI.

Nec vola nec vestigium *H. de Nortenberch* notarii in charta nominati, vt inde aliqua coniectura aetatis eiusdem fieret, adparet.

Implebit autem intra decennium officina, quae antea vaga sedem fixit supra Curiam nostram ad Salam paullo supra confluentem Regniti superioris, tum per vniuersas terras CELSISSIMIS PRINCIPIBUS BRANDENBURGICIS in Franconia parentes prima et per multos annos vnica, officinae libris stanno exscribendis tredecim annis ante hic Curiae a Mattheo Pfeilschmidio patre institutae fecundae reliquarum earundem regionum matri ministrans chartam ex eo adeo exulta, vt cum maxime Wunnerlichianum nomen remotissimos exciuerit ad arcesendam chartam cum Belgica de principatu contententem. Haec vero est felicitas insignis aevi FRIDERICIANI omnium bonarum artium almi, quod vt opima pace longissime proroget summum Numen, supplicabunt ei non ture et vino sed pio ore et corde Musae Curianae interpretibus

IOANNE GABRIELE DOPPELMAIERO Curiensi Graeco habitu *sanctitatem aliquam principibus adserente.*

CHRISTOPHORO ERNESTO NEGELEINIO Neulinensi Romano habitu *providentiam diuinam in probos principes celebrante* ex FRIDERICI nobis CLEMENTISSIMI *salute perennante.*

ADAMO CHRISTIANO FRIDERICO LOEWELIO Markhartgrunensi eodem, *quod ad huc nullus heroum BRANDENBURGICORVM Franconiae nostrae vel atrocissimis bellis implicitorum percussori succubuit, pro eorum lenitate neccente argumentum.*

ERHARTO CHRISTIANO HECHTFISCHERO Doelauensi et hoc togato SERENISSIMO PATRI patriae BENIGNISSIMI

cognomen

QXTH
525

X 3684639

cognomen ex tot, quibus micauit caelum BRANDENBURGI-
CVM stellis, vindicaturus. Octo fere anni praeterierunt, quod
in disciplinam nostram transiit a patre probro Viro ludi mo-
deratore Industrio. Desperato morbo per aliquot menses in-
terceptus est, quo emerfus tribus abhinc annis rediit in gratiam
cum Musis, a quibus se nihil abstrahere passus est. Ne cruda
studia ex more tot citius auolantium in academiam propelle-
ret, Ebraica, Graeca, Latina atque Teutonica exem-
plaria versauit diurna nocturnaue manu, stili periculum saepe
fecit, et in arenam disputatoriam semel atque iterum
descendit. Tali committendum duxi numerosam amplissi-
mae spei prolem Viri Praenobilissimi Iacobi Friderici Putneri
primarii vrbs Mercatoris, qui agit Consiliarium SERENIS-
SIMI PRINCIPIS superioris Commerciorum Collegii Verfa-
tissimum. Talem de meliori commendauit Amthorianae libe-
ralitatis academiam Salanam frequentaturis dicatae Collatori-
bus Splendidissimis. Vtriusque beneficii vt et alumnei dignus
an indignus, loquantur bina specimina publice edita, in
Martinalibus anni MDCCCLVIII, *epinicion de non obprimenda
bello ecclesia vera*, MDCCCLX, in Pentecostalibus *eucharisticon
de beneficiis Curiano praestitis* Minerua haud nouerca vernacula
fortunam expertus ad modum nouercam.

CHRISTIANI HEINRICI LAURENTII *stebilis elegeta* ore patrio
*grates acturo tribuet duriori sorti eum ante tempus reuocanti do-
mum* Bobenneukircham in Vogtlandiam Saxoniam, vnde ante
quatuor annos et sex menses exierat acerbissimis matris viduae
adflctissimae lacrimis innutritus. Innutritus tamen hic natu
minimus iisdem subfelliis, quibus tres natu maiores, sed ad
vnum iam patris loco Diaconum Vigilantissimum Carolum
Henricum V. Pl. R. consumti ante diem tabe, capacissimi
ingenii audita promte reddentis, cuius specimen publice
edidit superiore anno, quo in primanos cooptatus fuit, car-
mine Teutonico *pro pace* votiuo.

Hoc par in circum theologorum dimisurus antea enumera-
bo monstraboque *varia, quibus inscriptum fuit,
chartarum genera.*



VD 18



QK. 520, 11

B.



CHARTAM
INDVBITATE, LINTEAM
HAC, TENVS, NOTIS, ANTIQVIOREM

SERENISSIMI, PRINCIPIS, AC, DOMINI
DOMINI
FRIDERICI
MARGGRAFII, BRANDENBVROI, DVCIS, PRVSSIAE
RELIQVA

LIA

VOTIS
A. R. S. CIOIOCLXII
NO
M, PONIT



NCIPIS
ORDI. EST
EANT
VLTV
M



LONGOLIVS
VM, ACADEMIAE, CONSILIAR
NIENS, LATIN. SOC

ANAE
E, HETSCHELII

